

## Band VIII., Nr. 3078, Seite 294-296

*König Rudolf verleiht der Stadt Heilbronn Speyrer Recht.*

Gmünd, 1281. September 9.

Rudolfus dei gratia Romanorum rex semper augustus omnibus imperpetuum. Non tam muris et vallibus quam legibus civitates seu universitates muniri convenit, ut forinsecorum evitent insultus et intrinsecus per observantiam legum et iurium civiliter et tranquille in pacis amenitate quiescant. Noverint igitur tam presentes quam posterius, quod nos civitatem nostram Heilichprunne et cives ibidem munimus et firmamus omnibus legibus iuribus et consuetudinibus, quibus civitas Spirensis gaudet, quorum aliqua, que subiciuntur inferius, propter ampliorem dictorum nostrorum civium quietem et pacem certis articulis duximus exprimenda. Inprimis quicumque alium in predicta civitate Heilichprunne occiderit, homicida super rotam ponetur, nec uxori occisi vel suis heredibus debent bona sua auferri, sed omnia debent eis salva manere, ne afflictio addi videatur afflicto. Si autem alius alium sine mortis periculo vulneraverit, ita quod de vulnere illo possit curari, reus vel perdet manum vel dabit decem libras Spirensium denariorum, quarum tres cedent sculteto due civitati et quinque advocato, et nichilominus reus erit extra civitatem per decem menses. Insuper quicumque alium decapillaverit vel sic sine inflictione vulneris percusserit, dabit sculteto pro temeritate tres libras denariorum et erit extra civitatem per mensem et, antequam recipiatur, dabit civitati duas libras denariorum. Item quicumque civium alteri christianitatem suam opprobriose denegaverit, sustinebit eandem penam, quam decapillans vel percutiens in casu proximo. Preterea si duo verbis probrosis conviciati fuerint vel se ad invicem percusserint, is qui alium provocavit et causam dedit opprob[r]io vel percussioni convictus trium proborum virorum iurantium super eo testimonio pene solum subiaceat supradicte. Super debitis autem et contractibus ac tractatibus quibuscunque, qui in civitate celebrari consueverunt, sculteti vel sui nuntii fide digni vel duorum fide dignorum testimonio est credendum et standum. Item si aliquis debitorem suum cuiuscunque conditionis existat in ipsa civitate conpererit, actor seu creditor coram sculteto vel suo nuntio occupabit eum et si debitor occupationem huiusmodi prevenire volens et evadere inveniatur in strata profuga ita, quod copia sculteti vel eius nuntii sine periculo expectari non possit, actor sine offensa debitorem suum occupare poterit et tenere et si necesse fuerit super eo invocare auxilium a vicinis et si iidem auxilium suum creditori non dederint et ob hoc reus aufugerit, si duorum super hoc iurantium testimonio illud creditor

## II

probare poterit, subtrahentes auxilium creditori debitum suum solvere tenebuntur. Insuper quicumque super debitis alium in iudicio voluerit convenire, conveniendus debet tribus vicibus per sculteti nuntium clara die ad iudicium evocari et, si sic vocatus non comparuerit, dabit et solvet pro qualibet vice triginta denarios Spirenses pro contumacia ipsi sculteto et nichilominus non obstante sua contumacia scultetus iudicabit de ipso sive in domo sua latitet vel in campo existat. Preterea quicumque pistorum male pistaverit vel minus debito se in pane tenuerit, si per duos pistores, qui ad hoc in ipsa civitate debent eligi, de hoc convictus fuerit, debent tres panes vendi pro duobus et nichilominus pro emenda dabit civitati solidum denariorum Spirensium. Si etiam aliunde pistor veniens velit se recipere in predicto loco, dabit et solvet aliis pistoribus libram denariorum Spirensium et amam vin et duas libras cere et hec ponentur ad usus civitatis communes. Item carnifices seu macellarii carnes immundas rancidas vel scrofinas in macellis non debent vendere sed separatim ab aliis, et si hoc non facerent, extunc si iuramento ad hoc deputatorum pro eo fuerint accusati, scultetus et consules emendam ab illis recipient, quam pro qualitate temeritatis huiusmodi duxerint ordinandam. Insuper quicumque pannum falsa lana contextum vendiderit vel venditioni exposuerit, talis pannus debet igne cremari publice et nichilominus scultetus et consules pro eo penam requirent et exigent, prout eis videbitur expedire. Hoc idem etiam debet per omnia observari, si pannus latitudine et longitudine debita careat vel alias fuerit vitiosus, et eorum qui ad hoc electi fuerint iuramento fuerit reprobatus. Preterea measure, sive sint frumenti vini et olei, debent esse in ipsa civitate cupree, ut secundum eas scultetus et consules in singulis quatuor temporibus omnes mensuras alias civitatis examinent, corrigant et emendent. Item duodecim consules, qui de melioribus et utilioribus civitatis debent eligi, singulis mensibus ex se quatuor eligent et recipient, qui per ipsum mensem ordinent cum sculteto omnia et singula negotia, que occurrerint ordinanda. In omnibus autem et singulis suprascriptis volumus advocato et sculteto nostris iura sua non minui, sed per omnia illibata servari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre innovationis et confirmationis infringere, aut ei in aliquo ausu temerario contraire. Quod qui fecerit, gravem regie maiestatis offensam se noverit incurrisse. In cuius rei testimonium presens scriptum maiestatis nostre sigillo iussimus communi-ri.<br> <br> Datum apud Gemundiam, V. idus Septembris, indictione IX., anno domini MCCLXXXI., regni vero nostri anno octavo.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.<br> <br> An gelben und roten Seidenfäden das Majestätssiegel, am Rande beschädigt, vgl. die Abb. in CARL HEFFNER

### III

(HRSG.): Die deutschen Kaiser- und Königs-Siegel, nebst denen der Kaiserinnen, Königinnen und Reichsverweser, Würzburg 1875, Tafel 7, Nr. 58.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

H 51 U 110

**Editionen:**

CARL JÄGER: Geschichte der Stadt Heilbronn und ihres ehemaligen Gebietes: Ein Beitrag zur Geschichte des schwäbischen Städtewesens, Heilbronn, 1828, Bd. 1, S. 56 (Auszug). Württembergische Geschichtsquellen, Bd. 5, S. 9, Nr. 32

**Regesten:**

E[DUARD] M[ARIA] FÜRST VON LICHNOWSKY: Geschichte des Hauses Habsburg, 6 Bde., Wien 1836-43, Bd. 1, S. LXXXVI, Nr. 679. Regesta Imperii Abt. 6, Bd. 1, S. 332, Nr. 1391.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Gmünd

**Ortsindex:**

Heilbronn Wohnplatz (1773) <br> Heilbronn, HN <br> Schwäbisch Gmünd Wohnplatz (4879) <br> Schwäbisch Gmünd, AA <br> Speyer, SP